milium fossa comprehensum cinxit. Undique simul adeunte romano postquam
extrema barbari vident certatim igne ferro inter epulas. venenoque quod
ibi vulgo ex arboribus taxeis exprimitur. precepere mortem. seque pars
maior a captivitate que videbatur vindicaverunt. Hec per antestium fir-
mium legatos et aggrippam interrucomis maritimus cesar accepit. Ipse — hibernas
presens hos deduxit montibus. hos obsidibus astrinxerit. hos sub corona
iure belli venundedit. Digna res lauro. digna curru visa est senatui. et — nota sub corona
iam cesar tantus erat ut posset triumphos contempnere. Astures per idem
tempus ingenti agmine a montibus suis descenderunt. Nec temere
sumptus ut barbaris impetus. et positis castris apud saurium flumen. tri-
pertitum diviso agmine. tria simul romanorum castra aggredi parabant
fuisset anceps et cruentum. et utinam mutua clade certamen. tunc tam
fortibus. tam subito. tam cum consilio venientibus nisi brigetini prodidissent.
A quibus premonitus carisius cum exercitu veniens oppressit consilia.
Sic quoque tamen non incruento certamine. Reliquias fusi exercitus.
validissima civitas lancia excepit. Ubi adeo pugnatum est. ut cum in
captam urbem faces poscerentur. egre dux impetraverit veniam. ut victo-
rie romane stans potius esset quam incensa monimentum. Hic finis
augusto bellicorum certaminum fuit. Idem rebellandi finis hispanie. — finis bellorum cesaris augusti.
Mox certa fides. et eterna pax cum ipsorum ingenio in pacis partes pro-
mptiore et cum consilio cesaris. qui fiduciam montium timens in quo se re-
ciperebant. castra sua sedes que in plano erant habitare et incolere ius-
sit. Ingentis ee. consilium illud observari cepit consilio. Natura re-
gionis circa se omnis aurifera minioque et crisocolla et aliorum colorum
ferax. Itaque exerceri solum iussit. Sic hastures et latentes in profun-
do opes suas atque divicias dum aliis querunt nosse ceperunt. Omni-
bus ad occasum et meridiem pacatis gentibus. ad septentrionem quoque
dumtaxat intra rhenum atque danubium. Item ad orientem intra ci-
rum et eufratem. Illi quoque reliqui immunes imperii erant. sentiebant
tamen magnitudinem et victoriam gentium populi romani. reverebantur.
Nam et scithe misere legatos et sarmate amiciciam petentes. Seres — nota finis imperii romani tempore cesaris augusti.
etiam habitantesque sub ipso sole. Indi cum gemmis et margaritis ele-